

11. *Objectum* liberi arbitrii est *lex divina*. Cuius opera alia sunt interna, alia externa.

12. Voluntas dicitur esse libera in malis. 1. Quia in libero arbitrio sedes est peccatorum; 2. Et non est extra hominem quærenda peccati causa. Proinde potius vocandum est *servum arbitrium*; quia qui facit peccatum, *servus est peccati*, *Ioh. 8. v. 34.*

13. In disciplina (diligentia gubernandi externas actiones, & coercendi externa membra, juxta præcepta Decalogi) est aliqua libertas reliqua. Nam menti etiam non renovatæ tribuit D. Paulus *Rom. 1. v. 20* cogitationes, agnitionem, veritatem, &c. Quò pertinet inventio variarum artium; Ubi non impiè dicitur, insignes artifices in inveniendis & illustrandis artibus peculiari quodam afflatu excitari. *Exod. 31. v. 2. c. 35. v. 31. Es. 54. vers. 16.* In voluntate est delectus in iis, quæ monstrata sunt ab intellectu. Unde discrimen est virtutum & vitiorum etiam apud non renatos, in externa disciplina.

14. Idem Apostolus affirmat, esse aliquam justitiam carnis, *Rom. 2. vers. 14. cap. 10. v. 3. Phil. 3. v. 4. 6.*

15. Et dicit, legem esse objectum liberi arbitrii, etiam in iniustis. 1. *Timoth. 1. v. 9.* Unde Augustinus *lib. 5. de civit. Dei, cap. 15.* scribit: Deum externam disciplinam etiam in non renatis remunerare temporalibus præmiis: